6.

Q. D. B. V.

RES PRVSSORVM,

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

publice expendit

IO. ADOLPHVS KIRCHBACH,

In Auditorio Maiori,

D. XXII. MAI. cIↄ Iↄc LXXII.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio XXVII. (A)

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.

cIↄ Iↄc XCIIX.

I.

HElmoldus, Nicolaus Ieroſchinus, Eraſmus Stella, Georgius Ranis, et qvi illum ſeqvitur Daubmannus, huncqve iterum ſaepe Caſpar Henneberg. Caſpar Schutz, Simon Grunavius, Balthaſar Schlubuth, Io. Freyberg, Henricus Zell, Steinſchneiderus, Milfelt, qvorum Chronica paſſim laudantur, inprimis, qvod affectum eſt ab Epiſcopo, Paderbornenſe, vulgo Hohemeiſter Chronick/ et Dantiſcanum Anonymi cuiusdam, qvorum tamen alia mendoſa, alia in rebus antiqviſſimi aevi fabulis immixta.

2. Idem argumentum proſeqvuntur Albertus Cranzius in Vandal. et qvi hunc ſupplet David Chytraeus.

3. Praeter hos nominandus Iornandes, qvi Geticis ſuis plurima inſeruit Slavica, tum Scriptores rerum Sarmaticarum Matthias Michovius, Martinus Cromerus, et, qvi hunc ferme in compendium redegerunt, Salomon Neugebauer, et Ioachimus Paſtorius, cumqve iis Herburtus de Folſtin, nec non Iacobus Auguſtus Thuanus, cum digreditur ad origines Germanicas.

4. Hiſtoria huius gentis aut turbat interdum, aut hiat. Culpa reiicitur in milites Marianos, qvi vetuſtiſſimos Pruſſorum annales igni deleverunt: non ſecus, atqve olim Miſnenſium Thuringorumqve faſti aliqvando abierunt in fumum, reſtaurandi ex Io. Garzone, ſeu vero potius autore Eraſmo Stella, eruditiſſimo Miſnicae antiqvitatis ſcriptore.

5. Summatim hiſtoria Pruſſica vel eſt fabuloſa, qvae ducitur a rege VVidovvutho, vel incerta, qvalis eſt ante adventum Cruciferorum: vel certa et ἔνδηλος, qvalis eſt a tempore Cruciferorum. Huic ſerviunt Codices Manuſcripti, et Chronica doctiſſimorum Virorum, at nunqvam niſi cum delectu, id eſt, cum iudicio hiſtorico et argumentis, ſive characteribus illud firmantibus, legenda.

I.

PRuſſi, vetus natio, et pluribus retro ſeculis inculta, hodie multum ex vita et moribus mutaverunt.

2. Orti ſunt ex Slavis, * iamqve ab ultimo aevo aſperi memorantur et feroces.

** Haec illa celebris portio Slavorum trans Viadrum ſitorum. Vulgo dixeris Slavos trans-Oderanos, qvibus annumerandi Pomerani, Poloni, Bohemi, Ruſſi, ut indicat autor ſcholiorum antiqvorum in Ad. Bremenſ. in l. 2. cap. 10. Qvo conf. Helmold. l. 1. cap. 15. Sed non omnes Slavaniae partes, nedum ſimul, factae obnoxiae ſunt Imperio Germanorum. De Pruſſis, opinor, conſtat, primum Ottoni M. tributum pendere coactos: deinde tertio decimo ſeculo Ordinis Teutonici imperata feciſſe, et una ius accepiſſe Teutonicae civitatis. Antea qvidem, id eſt, X. Sec. vectigales erant Noſtris, ſed nunc qvoqve ditionibus Germaniae accenſebantur. Vt minime dubitem, Ottonem M. Slavorum feliciſſimum victorem ſubegiſſe Slavos tam cis- qvam trans-Oderanos, inprimis Pomeranos et Boiohemos. Eo conf. Ad. Bremenſ. lib. 2. cap. 8. H. E. et VVitichindus Monachus Annal. 2. De Ruſſis Pruſſisqve ſub iugum miſſis confirmat nos Helmoldus l. 1. cap. 15. Poloni ſerius, id eſt, demum Henrici ſancti tempore, redacti ſunt ad hanc legem. Vid. Friſing. Chron. l. 6. cap. 28. Tantummodo hic cavendus lapſus eſt in hiſtoria migrationis Vandalorum et Venedorum, qvam accuratius excuſſit Helmoldus, nec ante eum ignoravit Magiſter Adamus, ut vocat ipſum Helmoldus.*

3. Valuerunt nihilominus multis naturae bonis: corporibus robur eximium, ac nulla mollitie fractum, eoqve terribile hoſtibus aeqve ac ſociis viſum: praecipue iis, qvi ab Scythia Sarmatiaqve impetum effudiſſent.

4. Sed animi dotes non eaedem, nec mite ſane ingenium, et bello maxime duratum fuit.

5. Laudi tribuam, qvod abhorruerunt a luxu, abſtinentes iuxta et ſatagentes ſuarum rerum: liberales inſuper, ſed non profuſi, et qvanto magis modico aſſveti, tanto minus laborum ſuorum negligentes. Vita pro captu iſtius aevi ſeria, cultus veſtium ſimplex erat, calcei viminibus conſuebantur *

** Vid.*

* *Vid. Helmold. rer. Slav. l. 1. cap. 1. Caſp. Henneberg. in brev. deſcript. Pruſſ. p. 5.*

6. Nomen genti propter accolas Ruſſos * impoſitum credunt. Nec deſunt veſtigia, qvae ſeqvantur. Nominaſſe ſufficiat Presbyterum Bozovienſem, cui poſteritas debet, qvicqvid ſive ad patriam, ſive ad origines pertinet Slavorum.

* *Adamus Bremenſis l. 2. cap. 13. H. E. Pruzzos ſcribit, ed. Velleian. Alb. Ab. Stad. A. 917. Pruciam vocat regionem Pruſſorum. Helmoldus ſignat Pruzos, vicinos ipſorum Ruzos (Lamberto Schafnaburgenſi Ruzenos) qvi hodie Ruſſi appellantur, inflexis nonnihil ac mutatis, ut docti coniiciunt, apicibus ex Slavica loqvendi ratione. Priſco illo, et certas Hiſtoriae Pruſſicae rationes nondum habente aevo, Sarmatarum Henetorumqve nomine comprehenſos, ne qvicqvam ambigo. Vid. Johann. Bugenhag. Diſſert. de migrat. Seqviori, qvod medium dicimus, Slavorum Venedorumqve verbo continebantur. Sigebertus Gemblacenſis ad A. 977. Brutios tradit, credo, per errorem. Si enim aſſeqvor recte, Brutios Italiae, converſo nomine Calabros, voluit intellectos. Atqve id in promptu eſt evincere vel ſolo indicio eorum, qvae prodidit ad A. 1015. ubi BRUCHUOS nominat, haud dubie denotaturus Pruſſos. Impeditqve ſe hic adeo iſte autor, ut vix expediat, qvod intuenti vel ultro innoteſcet. Marianus Scotus, qvem alioqvi non ſemel ſeqvitur Sigebertus, tradit A. 995. Adelbertum in civitate Aprutis tuliſſe honorem martyris. Qvae verba Henricus Bangertus de Pruſſia interpretatur ad Helmold. l. 1. cap. 1. Contra index Piſtorianus Aprutium Italiae expreſſit. Adeo tenebrae involverant hiſtoriam huius gentis: primus ex abdito eruit Helmoldus, in qvo nil deſidero, qvantum ad commemorationem rerum geſtarum, deſidero autem ſaepe merito accurationem. Sed de utroqve infra erit, ut videamus. Verum enim vero alii Prutenos malunt, qvos Pruſſos alii. Eo allegant Prutenum qvendam. Sed aut fallor ego, aut iſti fabulantur, cum talem qvaerunt nominis conditorem. Qvanto rectius Caſpar Peucerus l. 4. Chron. aſtipulatur nobis. In Ruſſorum, inqvit, vicinia Boruſſi conſederunt, etiam ab Oriente profecti, ſicut indicat nomen, qvod Henetum eſt, et Colonos Ruſſis contiguos denotat. Ab his Prutenorum, ſeu Pruſſorum nomen defluxit. Hactenus Peucerus, plus vero, qvam famae innixus. Nil adiecerim, niſi qvod nomen illud dudum invaluit ante Helmoldum, iamqve innotuit ſcriptoribus ſeculi X. res complexis.*

7. Traditur, a Cimbris * excultos eſſe ad mitiores vitae leges. Haud dubie a Saxonibus didicerunt meliores literas, et egregia inſtituta morum, et ipſam deniqve Tevtonicam lingvam.

* *Primo omnium Cimbrorum conſvetudine emollitos, approbat nobis praeter alios Simon Grunavv, et ex eo Caſp. Henneberg, in cap. de vet. et infid. Pruſſ. ſed caute et velut candens ferrum attingenda ea hiſtoria eſt, qvae ad Cimbros aſcendit. Memorabile hic, qvod tradunt, Pruſſos ante Cimbrorum adventum rudes adeo atqve impolitos fuiſſe, ut, qvos legendi ſcribendiqve peritos vidiſſent, prope Deorum haberent loco. Deinde magis imbuti inſtitutiqve ſunt a Saxonibus. Non ſecus, atqve olim Pomerani, de qvibus vid. Micrael. lib. 3. Vet. Saxonicae Pom. De his Thuanus. Saxones, inqvit, Orientem verſus veteres fines egresſi, Boruſſos et Transſylvanos, qvi hodie appellantur, Germanice loqvi docuerunt. Tanta ſeu vis temporis, ſeu conſvetudinis aliarum gentium eſt, aut corrigit animos, aut permulcet. Gratulor vobis, o Prusſi, hanc felicisſimam converſionem. Aucti literis, exculti legibus eſtis. Recesſiſtis a veteri aſperitate: exuiſtis barbariem antiqvam.*

8. Chriſtianorum ſacra unde hauſerint, non perinde conſtat: hauſerint vero a Polonis, an a noſtra gente, diverſis ſtudiis certatur. Pleriqve Boleslao vindicant illam laudem, audentqve affirmare, primum hunc fuiſſe, qvi Pruſſos adduxerit ad Chriſtum.

9. Mihi animus eſt, procul ſtudio referre de his rebus, ac reddere autores ex vero, qvi Pruſſos revocarunt ab impio cultu, eoqve primum ſeqvendi Chriſtianos exemplum prodiderunt.

10. Annus agebatur Chriſti ſupra nongenteſimum ſeptimus et nonageſimus, * qvum Pruſſi Polonos ad iram concitarunt atqve ultionem. Erat apud nos qvidam nomine Adalberti, ** vir vita et officio ſanctus, qvi ſive ſponte ſua, ſive, ut fertur, oraculo Dei monitus in Pruſſiam venit, Chriſti ſacris operaturus. Pruſſi, ut feroces erant, venienti protinus occurrunt,

runt, necem denunciantes, niſi confeſtim ſe proriperet ad ſuos: aiunt inſuper, odiſſe peregrinum ſacrum, et deteſtari eius autorem: faceſſeret igitur qvantocius, et vitaret probroſam mortem: ſi vel pertentaret ſuorum voluntates, ſciret, exitium inſtare. Ita nullum Adelberto, niſi in fuga, vitae ſervandae remedium erat.

* *Lambertus Aſchaſnaburgenſis ad A. 997. intrepidi confeſſoris honorem tuliſſe indicat. Adalbertus, inqvit, Epiſcopus martyriſatur. Marianus Scotus innuit A. 995. Sigebertus ad A. 977. perhibet, Adelbertum claruiſſe apud VVinidos, eundemqve apud Brutios martyrio affectum. Dubium, Brutios Italiae, an Pruſſos, alio nomine Pruzzos, et Prutios, deſignet. Inde eſt, qvod tradit ad A. 1015. Adelbertum apud Bruchuos capite luiſſe ſtudium annunciatae Chriſtianae religionis. Helmoldus dum Pruſſorum res literis mandat, fidem facit, ab his paſſum eſſe Adalbertum. l. 1. Chr. Slav. cap. 1. et libr. eod. cap. 15. Conſentiunt ferme omnes Poloniae annales, et tabulae Eccleſiarum Sarmaticarum. Hiſtoria in compendium redacta eſt a Salomone Neugebauero in Bolesl. Chrobri. Caedis patrandae inſtinctores antiſtites fuiſſe, et ſacrificulos non Chriſtianos, proditum eſt. Nec id miror, qvi ſciam ex Helmoldo, tam ſuperſtitionis ſuae tenaces fuiſſe, ut lucos fontesqve ſuos non paſſi ſint adiri a Chriſtianis: tum etiam qvod immaniſſima ſuppliciorum exempla ſtatuerint in praecones Chriſtiani cultus.*

** *De Adelberti praenomine multum diſſimilitudinis eſt in ſcribendo. Ac id haud dubie Slavicae indolis eſt. Sigebertus VVictech ad A. 977. Gvictech ad A. 1015. exaravit. Qvod argumento eſt, duos fuiſſe Adelberti nomine inſignes. Aſſerit Paulus Langius in Chron. Citiz. p. 761. Adalbertum alterum huius nominis Polonorum Pruſſorumqve praeconem fuiſſe; priorem autem docuiſſe Rugos, id eſt, ut arbitror, Sigeberti VVinidos, alias VVinithos, ſeu VVinulos, qvorum prima portio Pomerani. Helmold. l. 1. cap. 2. ut haud abs re credas, praenomen Gvictech qvadrare ad noſtrum Adalbertum. Rerum Slavicarum conditores pleriqve ſcribunt Voicechum, alii Voytichium vocant: innuiturqve id in Chronico Langiano edit. Piſtorianae, ſed non exprimitur. Frater eius Gaudentius ab Aſchaſnaburgenſe memoratur.*

II. Sed firmo adverſus mortem animo Adelbertus, nec formida-

midabat minas, nec deprecabatur poenam. Tanta ſubii fiducia animum Viri: aut docere volebat, aut mori.

12. Pruſſi ſeu contumeliam, ſeu contemptum ſacrorum ſuorum interpretati, vim parant. Comprehenditur Adelbertus, et cum fallendo eluctari noluiſſet, conſtantiam oſtendit. Fiſchhauſium * vocant locum funeſtum clade. Sic foedata innocentis ſupplicio manus, infauſtum rebus Pruſſicis omen fuit.

** Multum abit Marianus Scotus, nec Fiſchauſium vel apice nominat, ſed in civitate Aprutis ſuppli io affectum ſcribit. Fallit, ſi Italiae Aprutium intelligit: Si Prauſtum ſ ripſiſſet, propius deflexiſſet a vero: nunc cum nil tale in Pruſſia accidiſſe commemoret, deſerendus merito eſt. Vt mirer, qvomodo Bangertus aſtruat ex Mariano, Adelbertum in Pruſſia fuiſſe. Alioqvi Fiſchhauſium comprehenditur ambitu Pruſſiae Ducalis ut Prauſtum finibus Pruſſiae regalis, forte lapide diſtans Gedano. Sed nos ſatis habeamus, adduxiſſe Helmoldum l. 1. cap. 1. qvi illuſtrem extulit haud dubie generis ratione. Nam inſignia Bohemici Baronis, autoritatem Epiſcopi Pragenſis habuit. Paul. Lang. Chron. Citizenſ. p. 761. Epiſcopus hic, ſi qvisqvam, laudandus, qvi et vitam et fortunas ſuas in religionis amorem impendit, ac longinqvis adeo itineribus confectis, plurimum commodi attulit ad res Chriſtianorum: cumqve eodem conſilio iviſſet ad Pruſſos, a gente, qvam piisſimo officio demereri non poterat, probroſae morti eſt addictus: dignus, qvi Scytharum Sarmatarumqve communis doctor, et forte, ſi loqvi ita licet, alter Apoſtolus dicatur. Supplicium, qvod ſuperſtitio irrogavit viro, perſeqvitur Martinus Boregk, ſcriptor Bohemicus. Cromerus confoſſum narrat, l. 3. rer. Pol. Viſiturqve hodie Pragae ſacellum illi ſacrum. Hentzner. Itinerar. p. 605.*

13. Averſabantur Poloni facinus, vindicaturi e veſtigio, ſi occaſio tuliſſet. Sed differebatur ultio, ſive qvod prohiberentur metu potentis populi, ſive qvod anceps armorum periculum adire ſibi viderentur. *

** Saltem prima haec radix disſidiorum inter utramqve gentem: qvanqvam non multo poſt aliae lites ex cauſa dominationis ſieri coeperunt. Liberrimus ceteroqvi hic olim populus, nemini ſubditus, ac plane ſui iuris*

ris fuit. Certum habeo, reſtricta regum Imperia non tuliſſe, ſi forte reges tulit. Nam qvod de VVidivvuto, eiusqve poſteris narrant, qvam obſcurum, imo fabuloſum eſt. Ingenue Helmoldus: nullum, inqvit, inter ſe Dominum pati volunt, l.1. Chron. cap.1. unde non inepte arguas, ſtatum Reipublicae aut potius compagis rerumpublicarum, ob tam diſſidentia et vix in unum civile corpus redigenda Pruſſorum omnium ingenia, fere popularem fuiſſe, ac ductores ſibi bellorum magis aſciviſſe, qvam plena poteſtate reges. Non abludit Io. Micraelius l.2.p. 192. et 158. vet. VVend. Pom. Otto I. ipſis tributum impoſuit, ſed formam Imperii (id enim nuſpiam lego) non mutavit, nedum abrogavit. Seqvioribus temporibus Milites Mariani formam principatus induxerunt genti, ſed ſub auſpicio ac ſupremo Imperii Germanici iure, ut monebitur inferius.

14. Rerum hoc tempore potiebatur in Polonia Boleslaus Chrobrius, * Principis titulo, non regis, ** isqve eius nominis primus, et delicium ſuae gentis: verbo diceres Poloniae Titum qvendam, ac forte Tito aliqvid maius. Hic anteqvam moveret in Pruſſos, Bohemorum Moravorumqve bello diſtinebatur, Iam Ruſſi obſtabant, parati conferre arma, iam Saxones negotium faceſſebant. Cum utrisqve pax coaluit, ut tota belli vis incumberet Pruſſis. Eousqve feſtinabat ultio, donec tandem opportuna ulciſcendi occaſio afferretur.

* *Chrobri, id eſt acris, ſive excitati animi Princeps, nomine a Ruſſis indito, ut interpretatur Cromerus de reb. Polon. l.3.p.40.*

** *Otto Friſing. Chr. l. VI. cap. 28. Gottfridus Viterbienſis Chr. part. XVII. ut de Detmaro Merſeburgenſe, aliisqve taceam. Recedunt qvidem Polonorum annales, ſed autores eorum ſive ſtudiis obnoxii ſunt, ſive nimis recentes. Et tamen non veretur Cromerus novos et incertos, illosqve ſaepe nec nomine notos ſcriptores anteferre veteribus, ceteros vero plerunqve carpere ſine cauſa, inprimis Germanos Bohemosqve. Cuius vid. exemplum l.3. de reb. Pol. Idem auſpicatur epocham Poloniae regum a Chrobrio, qvod ipſi cum ceteris Polonorum hiſtoricis commune eſt. Sed optem poſt iam praedictos autores evolvi VVipponem in vita Conradi Salici, qvi tradit, Boleslaum, qvem vocat, Slavigenam, Ducem Bolanorum (non Boemanorum, aut Boiobemorum) aptaviſſe ſibi regium nomen in Chuonradi regis (qvippe tunc temporis nondum inaugurati Romanorum Imperatoris)*

iniuriam contemptumqve. Rex ergo non ſuit, qvia iure non fuit. Namqve Polonia ut illo aevo Germanorum imperatoribus tributaria erat, ita horum auſpicio acceptura reges erat, ſi vere acciperet, ſi iure obtineret. Nec tamen diffiteor (commodum hoc ſubit recordari) qvandoqve Helmoldum abuti ſignificatione earum dictionum, qvibus denotantur ſummae poteſtates. Sane l. 1. c. 9. Henricum Ottonis M. patrem appellat Imperatorem, qvi a nullo veteris aevi, cuius meminerim, ita appellatus eſt. Cauſa in expedito, et intelligentibus rerum civilium nota. Ad hunc, opinor, modum l. 1. c. 15. Chr. Slav. Regem vocat Boleslaum, ſed haud dubie non exqviſita notione regis, aut forte per errorem, aut, qvod magis ſuſpicari liceat, qvod affectaſſet nomen regis. De cetero nos invectae in Poloniam regiae dignitatis epocham conſtituimus in Premislao, cuius regnum incidit in A. 1295. Cromerus l. 3. rer. Pol. pag. 41. 42.

15. Cum pugna inſtrueretur, Deus ſtabat pro meliori cauſa: nam et fuſae ſunt Pruſſorum copiae, et pleraeqve ipſorum ditiones venerunt in hoſtis poteſtatem. Tandem his legibus pax coivit, penderent tributum Pruſſi, * et abſtinerent ab innoxiis confeſſoribus manum: adhaec praeſtarent ſecuritatem omnibus, qvi docendi cauſa ad ipſos mitterentur. Haec prima occaſio initiandis Chriſto Pruſſis, et egregia auſpicio, et vindicatae religionis dignitate venerabilis fuit.

* *Salom. Neugebauer in Bolesl. I. qvi ferme Cromeri verba retinet, et ſcriptores rerum Pruſſ. paſſim. Vbi obſerves, qvasdam conditiones aperte tradi, qvasdam innui, et eventu iudicari, ut illa eſt de mittendis, qvi doceant Chriſtianos ritus.*

16. Verumenimvero qvanto plus ex conatu, tanto minus ex ſucceſſu illud conſilium habuit, neqve iam ſola ultio, ſed dominatio * parabatur, et ſaepe ſpecioſior titulus, qvam verior qvaerebatur, familiari regnantibus exemplo, qvum honorem rei divinae uſurpant potentiae firmamentum.

* *Id fere colligo de Boleslao Crivouſto, et Principe Caſimiro Miecislai ſenis fratre, dum mores, acta, deſtinationes horum inſpicio propius et examino. Sed ſcriptores Polonici ut ſuis indulgent, ita qvaedam emolliunt, de qvibus ex factis facile iudicium ferat intelligens rerum. Omnes*

enim

enim autores allegare, aut ſupra allegatos repetere non licet in hac ſcribendi feſtinatione.

17. Pruſſorum ut fortuna, ita animus apparuit: rebus turbatis qvidem praeferre aliqvid Chriſtiani cultus, mox, dum periculo eximebantur, abolere iterum * coeperunt. Nempe ſervari haec gloria Teutonibus, Teutonico certe ordini debuit: qvandoqvidem bonae leges, melior diſciplina, ac inſtituta paſſim egregia accepta ſunt auſpicio noſtrae gentis.

* *Tempore Boleslai I. nondum receſſiſſe ab impio cultu certum eſt. Qvanqvam enim poſt geſtum cum ipſis bellum Doctores ad eos dimiſerit, tamen obſtinate adhaeſerunt ſacrificulis Idolorum, qvos CRIVE appellabant: vid. Martinus Cromerus rer. Pol. l. 3. p. 42. Caſp. Henneberg. et complures. Boleslao Criſpo promiſerunt, acceſſuros ad Chriſtiana ſacra, ſed non ſervarunt, Neugeb. in Bolesl. Criſp. 106. Nec ſub Caſimiro meliorem ingreſſi viam ſunt, obſtinatiſſimi avitae ſuperſtitionis defenſores, Idem in Caſimiro Principe p. 118. Poſtea Conradus Maſoviae Dux A. 1222. Leſco albo tertium potiente rerum, ritu Chriſtiano imbuere cogitavit, inſtituto ad eam rem peculiari Epiſcopo. Sed neqve id ſucceſſit: Id. p. 132. Donec Fratrum Teutonicorum opera laboreqve frangerentur demum, atqve initiarentur Chriſto.*

18. Haeſerat ab illo tempore barbaries Pruſſis, qvam ſerius exuerunt, nec niſi imperio alieno.* Verbis molliri non poterant, et precibus nihil, hortationibus minimum concedebant. Vsqve adeo obſtabat avita obſtinatio, et bellandi amor.

* *Sub hoc tempus, qvo nondum ſubacti a Crucigeris, nec condocefacti ab his erant, notatur Pruſſorum barbaries a Cromer. l. 7. rer. Polon. Neugebauer H. Pol. l. 3. aut. T. VII. Hiſt. Aug. p. 558. Henneb. in deſcript. Magiſtr. Teuton. Ordinis. Qvod ex codice Epiſcopi Culmenſis Simon Granavv, et ex eo Caſp. Henneberg. referunt, A. DXXIII. a nato Chriſto Pruſſis leges promulgatas eſſe, id nemo non intelligit, fabulam prae ſe ferre. Nec temere affirmari poteſt, a Polonis rationes humanitatis accepiſſe, atqve ſcriptas leges. Maxime ob immane odium, qvo Polonos proſeqvebantur. Tum vero nusqvam invenitur, Polonos ſanxiſſe Pruſſis ſcriptas leges. Si tributum impoſuerunt belli iure, non continuo exiſtimandum eſt, ſimul tuliſſe*

tuliſſe leges. Nam et Otto, ut ſupra diximus, M. Pruſſos vectigales fecit, neqve tamen apud ipſos leges Teutonicas inſtituit, ſed iure ſuo uti permiſit. At dederim, a Polonis ad Pruſſos penetraſſe leges, (certum enim eſt, ab his ad illos non tranſiiſſe,) negabo tamen, iure imperii Pruſſis latas, ut qvi non Polonorum, ſed ſuo arbitrio imperioqve regerentur illo aevo. Ne dicam, Polonos ipſosmet ius ſuum petiiſſe aliunde, et iudicaſſe iam olim more Teutonico, qvod adeo verum eſt, ut qvoqve in diſceptatione cauſarum a tribunali Cracovienſi provocaretur ad tribunal Magdeburgenſe, qvod ſuſtulit Caſimirus M. Neugeb. l. 3. p. 205. Caſimirus III. demum autor eſt Pruſſiae regiae titulo appellatae. Crom. l. 26. Horn. Hiſt. Imp. p. 333. Qvae ut ab eius tempore cum Polonis coaluit in unius Reipublicae corpus, ita demum legibus illius haud dubie contineri coepit. Vid. David Chytraeus in Boruſſ. ad Ann. 1454.

19. Itaqve armis diſceptanda cauſa erat, vindicandumqve inſuper, qvod admiſerant in Conradum Maſoviae Ducem. * Mirum dictu, qvam nil timerent Pruſſi, ſeu viribus, ſeu fortunae confiſi. Petebant aliena, ** periculum adibant ingens, proponebant animo praedas, proponebant ultionem. Mox infundebantur in ditiones Conradi, *** et nunc damna, nunc clades vicino populo afferebant. Vbiqve vaſtitatis et direptionum veſtigia cernebantur: nec licebat patientia ſanare vulnus, ne latius noceret neglectum.

* *Neugeb. Hiſt. Pol. l. 3. p. 130. Chytraeus in Boruſſ. A. 1220. Accedebant iniuriae in Polonos partim ex cauſa tributi, qvod pendere recuſabant, partim ob excurſiones in Polonorum agrum factas. Vid. Neugeb. Hiſt. Pol. l. 3. p. 60. p. 106. 118. et c. Titulus ergo belli non a religione, qvae nullum iuſte bellandi momentum habet, ſed ab iniuria, ut intelligitur, ſumptus eſt.*

** *Indicant hoc excurſiones variae irruptionesqve in Polonorum fines.*

*** *Cromerus rer. Pol. l. 7. Neugeb. l. 3. p. 130. Chytraeus d. l. et annales Polonici paſſim.*

20. Itaqve acciti ſunt ex Germanis milites, iidem exerciti bello, et durati longo uſu. Hi ab ordine, * qvem profitebantur, Teutonici fratres, a Praeſide Ordinis, qvam colebant, Mariani, a teſſera, qva utebantur, Crucigeri ſunt appellati. Du-

ctor,

ctor, ſeu caput illorum erat qvidam Magiſter, hoc nomine vocari ſolitus, ut praerogativae indicio eſſet, atqve ſupremi in illa ſocietate honoris. Primus eo titulo Hermannus Saltzenſis ** venit in Pruſſorum regiones, idem auxiliator Conrado, et Pruſſicae gentis ultor futurus. Facta utrinqve pactio A. M.CC.XXIIX. partim ut creſceret fiducia animis ſociorum, partim ut iuſtitia contineretur bellum.

* *Sub huius Ordinis initium, qvod ſibi Palaeſtina vindicat, Pruſſia hoc omen habuit. Ventus a ſeptentrione ortus, XII. annis ſpiravit, afflictisſimis Pruſſorum rebus, et navigiis ferme omnibus cum maximo ipſorum detrimento computreſcentibus. Caſp. Henneberg. in Henrico VValpotio. Non pigendae, opinor, operae erit, hoc omen conferre cum iſto Tilliano, haud ſecus ex flatibus ventorum accepto, qvum Hamelae de obſidendo Magdeburgo conſilia caperentur. Deſcribit Adolphus Brachelius ad A. 1631.*

** *Vulgo Hermannus de Saltza, Crom. l. 7. rer. Pol. Comite VVillebrando ab Oldenborg, eodemqve ſcriptore itineris Orientalis, in Palaeſtinam profectus. Vid. Hallervord. in VVillebrand. de hiſt. Lat. Is egregia virtute floruit et ſingulari pietate, qva non tantum ſibi dignitatem, ſed Ordini qvoqve honorem conciliavit, ut apud Fridericum II. Imperatorem ac Pontificem praecipuo loco eſſet. Henneberg. deſcript. Magiſt. Ord. Teut. in Hermanno de Saltza. Sub eo primum auſpicium fuit Generalium Ordinis Magiſtrorum, cum antea ſine adiectione atqve elogio Magiſtri ordinis Teutonici appellarentur, id eſt,* Meiſter / *non* Hohemeiſter *Vid. Henneb. cit. loc.*

21. Conditiones erant aeqviſſimae, et non modo partium, ſed etiam Imperatoris * Pontificisqve ** conſenſu approbatae. Nempe haberent Crucigeri, *** qvod fortuna belli offerret: qvicqvid occupaturi eſſent, cederet in praemium laboris, idqve retinerent ſub fide atqve clientela Imperii Germanici, cuius ipſi auſpicio militabant. Vnum, ſi vera qvorundam ſententia eſt, tractum Culmenſem **** relinqverent Conrado, nilqve eriperent Polonis, ut qvorum ſocii eſſent atqve libera-

tores. Subigerent ſaltem Pruſſos, nil ultra concupiſcerent. Id ſatis ad laudem putarent et reſarciendam bellici ſumptus iacturam. His legibus coaluit amicitia, et permanſit ad longum usqve tempus.

* *Friderici II. cuius diploma ſub aureo ſigillo Teutonicis magni fuit, ſive ob gratiam Imperatoris, ſive, qvod denotat Cromerus, ob certitudinem acqvirendae poſſesſionis earum rerum, qvas bello occupaſſent. Rer. Pol. l. 7. col. 154. Idem inſigne eorum aqvilae imagine diſtinxit. Henneb.*

** *Gregorii IX. ut conſignatum eſt in MSP. Lubavienſi Teutonice exarato, qvod inſpexit Cromerus. Vid. l. 7. rer. Pol. Valde enim hic Ordo adolevit ſub tutela Pontificum Romanorum, iamqve ante Gregorium plurimum illi indulſit Honorius III. haud dubie, qvod conſilio atqve interpoſitione ſua Imperatorem Fridericum et Pontificem ſibi infenſos reconciliaſſet. Caſp. Henneb. in Herm. Saltzenſ. Tabulae pactorum Conventorum, ut multa alia, temporis iniuria interciderunt, reliqviae ab hiſtoricis ſervatae. Crom. l. c. Neugeb. H. P. l. 3. p. 133. Tom. VII. Hiſt. Aug. p. 558.*

*** *Diſſentiunt hic ſcriptores, obſervante Chytraeo ad A. 1220. Nec abs re, qvod vel liqvet exemplo ditionis Culmenſis, qvam Poloni Conrado ex pacto reſtituendam fuiſſe ſcribunt. Neugeb. l. 3. p. 133.*

**** *Negant alii, nec ipſe diffitetur Cromerus, ex privilegio Friderici II. Culmenſem terram Ordini Teutonico acceſſuram fuiſſe. Cuius pactionis formula ſi etiamnum in promptu eſſet, facile conſtaret, utra ſententia vinceret? pactione partium, ut pleriqve volunt, reddendus fuiſſet tractus Culmenſis, annon? Et ſi id pacto contineretur, an Imperator contra, qvam pacto continebatur, ſingulari iure, atqve adeo novo privilegio diſponere potuiſſet? Rediret hic qvaeſtio de Imperatore, utrum illis in locis Iuris dictionem habuiſſet? An Fridericus II. ex capite tributi ab avo Friderico I. poſtliminio Polonis impoſiti vindicare ibi Imperium, illudqve eminens, ad reſcindenda pacta conventa, valido iuris titulo ſuſtinuiſſet? Cromerus certe, ſcriptor alioqvi in ſuos indulgens, ex obliqvo ſugillat privilegium Friderici II. perinde ac ſi diceret, Imperatorem loco a Iuris dictione ſua alieno ius dixiſſe, eoqve privilegio illi ſtandum non fuiſſe.*

22. Crucigeri, cur evocati eſſent, memores, nil cunctantur, ſed prima qvaqve occaſione deſcendere in aciem parati, iuſtum

iuſtum exercitum comparant, * et multa vi aſtuqve molientes, in pugnandi ſententia perſeverant.

* *Celebris haec expeditio fuit, ut praeter Polonos Maſoviosqve plurimi voluntarii confluerent ad Crucigeros adiuvandos. Vid. praeter Pruſſicos ſcriptores Polonici, et in compendio Cromerus, qvi tradit, noſtros in Maſovia primum caſtellum Fogelſangae (rectius Vogelſangae) nomine appellatum, firmandis haud dubie viribus, et reprimendo hoſti aedificaſſe, nec multo poſt ſecunda victoria uſos, inſignem agri Pruſſici partem occupaſſe, misſisqve eo coloniis excoluiſſe: (vid. Chytraeus.) eodemqve tempore Torunium communiviſſe: ſudibus vero communiverint, an muro, incertum. Sane de Gedano, qvod paulo ſerius, atqve Torunium, muniri coepit, lego in vetuſtisſimo diplomate haec verba ad A. 1295. Primislaus civitatem Gdanzk plancis muniri procuravit. Vbi plancae dicuntur, qvae nobis ſudes ſolo infixae, plurimum, ut per ſe conſtat, a muro differentes. Hinc monumentis Gedanenſium proditum eſt, demum A. 1343. civitatem Dantiſcanam muro circundatam eſſe. Atqve haec vera epocha eſt Vrbis Dantiſcanae.*

23. Nec dum vero in melius mutati Pruſſorum animi, ſed qvanto magis res adverſae ingruebant, tanto impenſius pro libertate nitebantur. Habebant Poloni Maſoviiqve, qvod agerent: nec ut ſinguli pares, nec ut univerſi ſuperiores erant. Grande populo in bellum excito adiumentum Teutones * fuere, nec temere creditum, ſine his Pruſſos non potuiſſe vinci.

* *Ingenue Cromerus l. 7. affirmat, Teutones Maſoviorum et Polonorum defendendorum provinciam ſuſcepiſſe.*

24. Ita eductae ſunt Crucigerorum copiae, numero ac virtute inſignes, ſociorumqve ſubſidiis auctae, et magno, ſi unqvam alias, ardore pugnaturae. * Nec moram trahebant Pruſſi, neqve aut metu, aut minis deiiciebantur. Manu armisqve audendum erat noſtris, et ſi qvid ſecius accideret, conſilio cavendum. Optima vincendi ratio haec repraeſentabatur, praeliis vexationibusqve ** tantisper fatigandam eſſe pugna-

pugnaciſſimam gentem, dum imperii patiens fieret, et ſtudioſa partium noſtrarum.

* *Ardor ille plurimos excivit praetextu pietatis, inviſo Pruſſorum nomine ob peregrinum barbarumqve ſacrum. Crom. l. 7. rer. Pol. Munſterus in app. Geogr. ad Ptolemaeum. Idemqve vel maxime e re Crucigerorum fuit, cum diu ante ſuſciperent expeditionem ſacram, de qva vid. Albertus Aqvenſ. VVilhelmus Tyrius, Geſta Dei per Francos, Sigeb. Gemblac. Helmoldus, VVernerus Rolevinck, qvi paſſagium vocat verbo ſeqvioris aevi.*

** *Vel ſolo eventu actorumqve contextu hoc conſilium iudicatur. Nimirum id erat, bellum in hoſtico alere, et reſiſtentium audaciam refringere ex propinqvo. Qvod ut conſeqverentur, igni ferroqve omnia vaſtabant, et hinc a fronte, inde a tergo cum ſociis amicisqve inſtabant. Iam vix habebant Pruſſi, ubi ſe reciperent in tutum, ſpes commeatus praeciſa erat, optimae agri opes, et unde genti praecipuae facultates, abſumpſerat hoſtis, praeterea oppida et arces interceperat, eamqve belli ſedem conſtituerat, ubi et ſervare robur ſuum, et nocere hoſti poterat. Sed haec ex Pruſſicis pariter et Polonicis ſcriptoribus facile colliguntur.*

25. Illud hic praecipue dignum admiratione duxerim, Pruſſos tam exiguo temporis intervallo ad parendi legem redactos,* qvi a tot retro ſeculis per tot caſus, et pericula, perqve tot mortes ac vulnera libertatem defenderant, prius extrema omnia paſſuri, qvam principem externum, qvi et diverſo ab ſe ingenio eſſet, et diſſimili lingvae morumqve commercio uteretur. Sed parabat novum imperium Deus, et tot hoſtibus ad arma excitatis, omne humanum ſubſidium auferebat bellicoſiſſimae genti.

* *Cromerus l. 7. rer. Pol. ait: parvo tempore magna in illis oris (Pruſſorum) incrementa cepiſſe (Crucigeros:) idem verbis iisdem extulit Neug. loc. ſaep. allegat. Nec diſſimulant Pruſſici annales. Adeo tandem vel ferociſſimorum animos manſvetudo ſubit atqve diſciplina.*

26. Vix ad obſeqvium compoſiti erant Pruſſi, cum praegravante finitimorum odio ſolicitantur ad repetendam libertatem. Eo operam navabat Pomeraniae Princeps Svantipolcus,

polcus,* et ad capeſſendum bellum acerrime hortabatur. Meminiſſent, inqvit, tot aerumnarum, qvas hucusqve pertuliſſent: aeſtimarent impotentem dominatum, qvi paucorum licentia exerceretur: Vindicarent adeo veterem gloriam, et pro laude ac ſalute ſuae gentis dimicarent, neqve finerent per ſocordiam adoleſcere, qvorum et ſuſpecta fides, et odioſa imperandi cupido eſſet. Facile aſſenſerunt Pruſſi, et Svantipolcum Ducem ſecuti, funeſta rebellione paene exitium Crucigeris attulerunt.

* *Svantipolcus domeſticis ſcriptoribus, exteris Sventipolcus ſignatur. Qvi Pruſſis autor ad res novandas, et excutiendum obſeqvium fuit. Primo ſtetit a partibus Teutonum. Caſp. Schutz in Chr. Boruſſ. Micrael. de Vet. VVend. Pom. Deinde, ut Venedorum ingenia ſunt, offenſus florentibus Teutonum rebus, occultum odium teſtatus bello, qvanqvam in eo excuſando totus eſt Io. Micraelius in Ch. Pom p. 277. ſeq. moriturus vero animum mutavit, filiisqve bellum cum Crucigeris gerendum disſvaſit, Neug. p. 156.*

** *Cromerus rer. Pol. l. 8. p. 148. l. 9. p. 162. et 172. Neug. l. 3. p. 145 collat. cum p. 155. Addantur Nic. Ieroſchin, Milfelt. Henneberger, et alii. Vbi graviter affirmant, in Pruſſia Crucigeros adverſa fortuna uſos, paene deletos fuiſſe a Prutenis. Ita ſaepe ab initio qvaedam cedunt proſpere, qvae mox facta rerum commutatione, fortunam adverſam habent.*

27. Sed firmatis iterum rebus, extemplo proſperiori fortuna ſublati, qvaedam inſolentius facere, audaciusqve appetere aliena coeperunt. Primo ſociorum fines aggreſſi, vel puncto temporis priſtinae amicitiae fructum amiſerunt. Inde Lithvaniam, qvae in ditione Polonorum eſt, intercepturi,* profundae imperandi ambitionis exemplum praebuerunt. Mox in Pomeraniam facto impetu, tributis exigendis populum maxime debilitarunt,

demum foedera aut raro, aut qvaeſtus cauſa ſervarunt, ** hisqve rebus omnium odia ſibi concitarunt.

* *Neugeb. H. P. l. 5. p. 242. et p. 207. Duce Keiſtuto, ubi nondum Poloniae innexa erat. Chytraeus in Boruſſ. ad A. 1322. Et refert hic Neugeb. in Caſimiro M. Crucigerorum armis omnem paene Poloniam attritam afflictamqve fuiſſe. Initia dominatus Crucigerorum apparuerunt tempore Premislai Regis, Neugeb. H. P. p. 173. 179. Ea aucta ſunt tempore Vladislai Loctici, Caſimiri, et inprimis Vladislai Iagellonis.*

** *Cromerus l. 12. p. 205. Neugebauer H. P. 179. et 198. David Chytraeus cit. loc.*

28. Haec dum ita agerent Crucigeri, auderentqve indies plura, Poloni ſe tandem opprimendos veriti, ſi conniverent in poſterum, ceperunt conſilium gerendi belli.* Id cum reſciviſſent Crucigeri,** fama viribusqve ſuis nixi, et praeterea occaſione utendum rati, de hoſte qvamprimum invadendo conſultarunt. Sed aliqvoties a Polonis fuſi, *** caſtrisqve exuti, omni ſpe proferendi dominatus exciderunt, inſigni ad poſterorum memoriam transmittendo argumento, Deo curae eſſe iniurias, eſſe ultionem.

* *Conſultationis initium lentum et a moderatione laudandum fuit, Cromerus l. 15. p. 255. Mox ſubiit fervor, cum Crucigeri pertaeſi pacis, violarent pacta, et naves regias Viſtula devectas interciperent, l. 16.*

** *Ii ſunt duum generum, Prusſici et Livonici: qvorum hi illis obnoxii, et ſaepe contra Polonos adiutores fuerunt. Vt non dubitet Cromerus ſaepe iniqvitatis poſtulare; Neugeb. p. 255. 260. et alibi pasſim. De Livonicis conf. Salomon Henning, Balth. Ruſſo. Illud hic addiderim de Prusſicis, ob, controverſias cum Polonis a Pontifice diris devotos eſſe, Crom. rer. Pol. l. 12. p. 206. Et tanta ipſorum iniqvitas in Eccleſiaſticos memoratur, ut omnium templorum aditu prohiberentur; Id. p. 184. Neqve multum ſemper venerati ſunt autoritatem Pontificum Romanorum, Id. p. 201. Non ſecus, atqve ipſi Poloni aliqvando, Crom.*

l. 25.

l. 25. Qvosdam tamen aeqviores habuerunt, Id. p. 264. Fuerunt etiam, qvi legationes mitterent pro conſervando ipſorum iure, inprimis Imperator et Imperii Principes, Cromerus l. 16. p. 267. l. 22. p. 351. et l. 25. p. 387. Extantqve diplomata, qvibus Rex Poloniae ob Pruſſiam Imperio ſubductam in perduellium atqve hoſtium Imperii numero habitus eſt. Vid. de Lud. Bavaro Conring. de orig. jur. Germ. cap. 31. et Goldaſt. in Conſt. *Imp.*

**** Non hic obliviſcendum Hedvvigis Iagelloni nuptae vaticinium ap.* Crom. *l. 15. p. 255. Primam, eamqve inſigniorem cladem Crucigeri acceperunt in Svecenſi ditione, id. l. 16. p. 266 Nec multo poſt iterum caeſi, ob nimiam fiduciam vincendi, ibid. p. 268. Neqve huc attinet referre omnia praelia, qvibus ſuccubuerunt Crucigeri. Saltem dicendum eſt, Vladulaum Iagellonem ieciſſe fundamentum Prusſiae Polonis acqvirendae, Crom. l. 17. p. 271. confirmaſſe Caſimirum III. qvi Magiſtrum Ordinis atqve Crucigeros in fidem ac clientelam recepit, Crom. lib. 26. p. 393. 394. Dav. Chytraeus in Boruſſ. ad A. 1452. Bucholc. Ind.* Chron. *ad A. 1465. perfeciſſe demum Sigismundum, Bernhardus Vapovius in fragm. p. 592. Aub. Miraeus de ſtat. rel. l. 1. cap. 49. de Pruſſ. Hoc enim rege ordo Cruciferorum ſublatus, Alberto Marchioni Brand. titulus Ducis reliqvae Prusſiae, qvae nondum ad Polonos deſciverat (cauſas eventusqve deſcribit Caſp. Schutz in Chronico) lege beneficiaria conceſſus eſt. Ab hoc tempore Sigismundus ſe ſcripſit Prusſiae Dominum et heredem, apud Mich. Frydwallt Pruſſici fiſci curatorem in defenſ. Diplomata ſuperſunt Latine edita, et in Germanicum converſa ad hunc modum,* König zu Polen *etc.* über Reuſſen/ Preuſſen *etc.* Herr und Erbling. *Huiusqve ſupremi Imperii beneficiarii reſpectu Albertus Marchio eum Regem et Dominum appellat in literis 10. Apr. A. 1566. ſcriptis. Sed ſolutus nunc ille nexus in ſolidum eſt auſpicio Friderici VVilhelmi, ad ſupremi Ducis faſtigium evecti per formulam pacti Velavienſis, qvod coaluit inter Poloniae regem regnumqve et Electorem 19. Sept. A. 1657. ſolennis in poſſesſionem parti iuris inauguratio ſucceſſit 8. Octob. A. 1663. ad qvem annum non poenitebit evolvere Diar. Europ. unde et ritus inaugurandi maieſtas, et ornamentorum maxima pompa innoteſcent. Saepe hic ſtomachum movet vulgus, cum praefecturas Buthaw et Lauenburg in Pomerellia ſitas, et hodie-*

hodieqve beneficiario vinculo innexus non ſecernit a Pruſſia, qvam vocant, Ducali, cuius habita ratione nemini, praeter Deum, tenetur, iure auguſtus, poteſtate ſupremus ſalutatur. In qvam rem extant tot cuſi argentei numi, ſupremi in Pruſſos imperii ad poſteritatis memoriam duraturi teſtes. Reperiuntur hic, qvi affirment, Pruſſiam Ducalem ab Electore poſtliminio Germaniae acqviſitam eſſe. Cum qvibus ſentiunt Burgoldenſis, et commutato nomine Pacificus a Lapide, ille Not. Imp. part. 1. p. 170. hic in Monzamb. p. 51. Io. VVolf. Textor tr. Iur. publ. cap. 19. ea opinione eſt, ut ſcribat, huiusmodi acqvirentes adigi lege poſſe, qvo ditiones olim imperii beneficiarias rurſus imperio offerant, vinculo beneficiario innectendas. Pruſſiam ea conditione fuiſſe, evincas ex Io. Sleid. Iac. Aug. Thuano, R. I. A 1500. atqve ex ipſismet ſcriptoribus Polonicarum rerum. Sed dicant id et defendant, qvi volent: mihi ſatis eſt, pactis conventis longe aliam legem a rege et regno Poloniae dictam eſſe. Nempe haberet ſibi Elector Pruſſiam Ducalem ſeparatae civitatis iure, et adeo non Germaniae innecteret, ut qvoqve maribus liberis heredibusqve eius in univerſum extinctis rediret in reſpublicae Polonicae corpus. Cuius legis dicendae poteſtatem, et varios uſucapionis belliqve titulos in praeſens eruere nec licet, neqve vacat. Tantummodo conf. Multz. de omn. lib. cap. 10

(o)